

66. *Bürgermeister und Rat zu Zwickau beurkunden den Verkauf einer Leibrente durch Johann genannt Krämer, Ratsherr und Vorsteher der Marienkirche, zur Wiederherstellung des Kirchturmes an Lucardis Kumelinge und deren Tochter Kunigunde.*

1328 Juni 18

Original nicht zu ermitteln. — Abschrift: Stadtarchiv Zwickau, IIIx¹ 141b (Zwickauer Rechtsbuch), fol. 8v^(Sp. 2)–9r^(Sp. 1) (14. Jh.) (B); Rubrum: Privilegium sancte Marie medie marce census et quibus locis datur. — Edition: Herzog, Chronik II, S. 876, Nr. 11. — Anm.: Ein Brand hatte wohl kurz zuvor große Teile der Stadt zerstört; dazu: Seeliger, Zur ältesten Geschichte der Stadt Zwickau, S. 23; vgl. auch Nr. 68.

Quoniam fraudulosa rerum varietas humanis sepe actibus adversatur, si non superhabundanti preventa fuerit caucione, hinc est, quod nos Nycolaus magister consulum dictus de Mediampne, ceteri quoque consules infrascripti in Zwickouwe universaliter singulis et singulariter universis, quibus presentes exhibete^{a)} fuerint, declarare propatum volumus in hiis scriptis, quod mediam marcam census annui ad ecclesiam parrochiam beate virginis dicti oppidi pertinentem in ortis Cunr[adi] et Ulmanni figulorum sitam, cuius medietas una in festo Walpurgis et reliqua in festo sancti Martini annuatim persolvetur, omni iure et utilitate, quibus fata parrochia dictam mediam marcam possedit, discretus vir noster concivis Johannes dictus Institor prelibate ecclesie procurator pro reedificatione turris eiusdem ecclesie cum nostro consilio et bona voluntate vendidit probe matrone domine Luchardi ac Kunegundi eiusdem filie dicte Kumelingein de Lesnicz ad tempora vite earum oneribus exactionum de predicta media marca easdem contingencium semotis omni iure ac libere, ut | premittitur, possidendam. Quecunque vero ex dictis, videlicet Lucharde et Kunegundis, alteri supervixerit, sepe dictum censum ad vite sue curriculum nullo impediante similiter libere possidebit. Eis vero viam universe carnis ingressis prescripta media marca cum iure primevo ad prenarratam ecclesiam revertetur. Verum cum predictae, scilicet Luchardi et Kunegundi, continuam mansionem in opido prescripto non habeant, maturo consilio amicorum suorum dictum Johannes^{a)} procuratorem seu quemcunque in hoc officio sibi succedentem in suum tutorem ac provisorem ad repetendum dictum censum, si in terminis prenotatis dicti figuli seu coloni ortorum dictorum in persoluzione dicti census negligentes^{a)} fuerint, constituunt et constituerunt coram nobis, et sic absque dilacione premoratus^{a)} census sepe dictis Luchardi et Kunegundi seu alicui amico ac nuncio^{a)} certo ex parte earum repetenti singulis terminis persolvetur. In cuius rei testimonium manifestum presens scriptum eisdem conscribi fecimus munimine sigilli dicte civitatis appensi roboratum. Testes huius rei sunt Nycolaus dictus Precula, Franciscus de Domo Lapidea, Cunradus Auckumpnus, Cunradus de Pretorio, Johannes dictus de Milsin, Albertus Pilgerimi, Cunradus Jauro, Nycolaus dictus Prozzo, Theodericus dictus de Reinherdsdorf, Cunradus iunior Leo, Johannes procurator prenomiatus, consules in Zwickouwe et alii quam plures discreti et honesti ac fide digni. Datum anno domini M^oCCC^oXXVIII^o sabbato post Viti proximo.

a) so (B)